

Werner von Haasthausen.

De. 94.







2.

ORATIO  
RECITATA IN RE-  
nunciatione gradus Theo-  
logici clarissimi uiri  
Melchioris Isinderi  
Suidnicensis.



1548





Vm ante b*iduum*  
in die natali Lutheri de  
argumento Orationis  
deliberarem, multaq*ue*  
dura meo tristi cum  
corde putarem, ut ue-  
teri uersu utar, & propter diem nata-  
lem, assidue quasi ob oculos obuersa-  
retur Lutherus, ita deplorare orbita-  
tem nostram cepi, ut aliud argumen-  
tum instituere non possem.

Vt enim de bello non dicam, quod  
fortassis illo uiuo nequaq*ue* motum  
esset, Sed fuerit sane h*ec* calamitas fa-  
tal*is*, hoc rec*etius* malum, uidelicet do-  
ctrin*ae* mutatio non fat*is*, sed humanis  
consilijs proprie tribu*edum* est, quod  
quidem eo uiuo ipsius uoce reprim*i*  
facile potuisset. Nunc cum alijs iudi-  
cium, alijs autoritas desit, nec sit moni-  
tor unus par illi, & multi uel errore,  
uel adsentatione, fucosa pro ueris re-  
cipiant, distrahuntur Ecclesie, spargun-  
tur corruptel*ae* rerum, antea recte tra-  
ditarum, stabiliantur prau*i* ritus, pa-

A ij riter

riter in omnibus languefit i[n]tuocatio[n]e,  
ut semper fit in dubitatione, deinde in  
multis dubitatio[n]e parit epicureum con-  
temptum Dei & omnium religio-  
num. Et aliquanto post, ubi de hoc ip-  
so pomo Eridos pugnare inter se do-  
cti ceperint, nouae dissensiones & alię  
dogmatum depravationes orientur.

Hæc mala cum sint in conspectu,  
fieri non potest, quin homines mode-  
sti in nostris Ecclesijs magno dolore  
adficiātur. Et tamē sunt Eceboli, qui  
ne gemitus quidem Ecclesiæ liberos  
concedunt, Sed statim uociferantur  
oēs sediciosos esse, qui nō adplaudunt  
corruptelis doctrinæ, ac dolent turba-  
ri Ecclesias, & piorum i[n]tuocationem,  
clamant nos priuatis affectibus, odijs,  
superbia impediri, quo minus ipsis  
adsentiamur. Fac nos adsentiri. Num  
propterea homines pij in populo  
qui liberijs iudicant adsentientur?  
Nec obscurum est, si ueras sententias  
abijceremus, secuturas esse in populo  
maiores discordias, & maiora odia, ad  
uersus religionem.

Non

Non blandimur uulgo, sed uera  
piorū iudicia intuemur, deinde etiam  
infirmitati populi, sanctorum matro-  
narum & puerorum aliquid conce-  
dendum est, ut filius Dei dicit, ualde ca-  
uendum esse, ne pueri offendantur.  
Hæc si qui cogitantes optant non tur-  
bari has Ecclesias, in quibus & uox do-  
ctrinæ uera sonat, & mediocris est mo-  
destia, Imo etiam quarum iam propter  
alias calamitates magna est mœsticia,  
num sediciosi iudicādi sunt & cum qui-  
dem nec arma gerant ipsi, uec præsidia  
ulla quærant, nec alios ad mouendos  
tumultus hortentur.

Etsi autem video, quantum sit peri-  
culi, etiam modestissime significare iu-  
diciū, tamen arbitrabar in hac fre-  
quentia auditorum hortandos esse iu-  
niores, ne sinant turbari invocationem  
suam uarietate opinionum, Sed agni-  
ta uera sententia, acquiescant in ea, &  
accendere fidem ueris exercitijs discāt.  
Loquor de re magna, & perspicue di-  
cam, quod necesse est in Ecclesia dici.  
**Cum excruciat animum dubitatio de**

**A iii parte**

parte aliqua doctrinæ præcipua, non so-  
lum inuocatio extinguitur, sed etiam  
odium omnium religionum acceditur.  
Cauendum est igitur summa uigilatia  
& prudetia, ne his exitialibus morbis  
pectoris inficiatur. Ut igitur præmuni-  
tæ sint mentes, teneatur Pauli regula,  
scripta ad Timotheum: Bonum deposi-  
tum custodito per Spiritum sanctum.  
Paulus & Timotheo & alijs auditoris  
bus ueram, integrum, perspicuum &  
incorruptam doctrinæ formam tradi-  
derat, Hanc bona fide, ceu depositum  
custodiri iubet, ut ad posterossine cor-  
ruptelis propagaretur. Hanc ipsam  
Pauli doctrinam cum illustrauerit Lu-  
therus, & nobis commendauerit, ceu  
depositum, fideliter custodiendam, non  
sinamus eam deprauari. Non abducant  
mentes a Deo superstitionibus ar-  
te fucatis, non excutiatur inuocatio ua-  
rietate aut ambiguitate opinionum.

Nec nouum exemplum est rebus  
recte traditis, postea fingi corruptelas.  
Ludit hoc modo Diabolus non in Ec-  
clisia tantum, sed etiam in artibus. Ut  
cum

cum philosophia recte constituta esset  
in doctrina Aristotelis & Theophrasti,  
postea prauæ naturæ studio nouitatis  
petulâter quesiuerunt nouas opiniōes,  
& quasi a media & regia uia deerrātes,  
cōtrarios errores amplexē sunt. Epicu-  
rus uoluptatē obuiā sensibus arripuit.  
Huic tribuit & pisēα, hac omnia metitur.  
Remouet a gubernatione mundi  
Deum, & audacissime fingit ex con-  
cursu Atomorum casu omnia mundi  
corpora nata esse, hunc solem quem  
cernimus, & sidera, fortuita incendia  
esse dicit, deniq; ut soluat mentes ho-  
minum religione & legibus, ex uniuersa  
natura tollit ordinem. Hī furores  
cum non placerent Zenoni uiro tetri-  
co, ut ḡ longissime ab eis recederet,  
profert metas longius ipse ḡ oportet.  
Ille omnia casu ferri dixerat, & uolui  
omnia sine ordine & sine necessitate.  
Hic contra, necessario & legibus im-  
motis fatorum fieri omnia contendit,  
etiam Phalaridis scelera. Ille nominaue-  
rat bona, uoluptatem, uirtutē, bonam  
ualetudinem, diuicias. Hic solam uir-

A iiii tuteim

tutem contendebat bonum esse. Ille  
adfectus omnes dicebat congruere na-  
turæ, etiam obscenos, & inimicos so-  
cietati humanæ, Hic nullos. Postea  
cum Arcesilas uideret quarundā dispu-  
tationum labyrinthos inextricabiles  
esse, longius proferens & ipse opinio-  
num metas, finxit omnia incerta esse.  
Tales furores secuti sunt, cum antea  
philosophiæ forma non male constitu-  
ta esset. Nec accusanda est hic tantum  
uanitas humanorum ingeniorum, sed  
etiam dæmonum malicia, quibus uo-  
luptati est, odio Dei ueritatem inuol-  
uere tenebris, ut cæcas mentes postea  
facilius impellat, ut ruant intetra scele-  
ra.

Lusit igitur in Ecclesia inde usq; ab  
initio multo petulantius. Eodem mo-  
do, ut nunc, promissionum diuinarum  
doctrina obscurata est. Cum Adam,  
Seth, Enoch, Noha, Sem, Abraham, do-  
cuissent, fide accipi remissionem pecca-  
torum, fide oportere mētes acquiesce-  
re in Deo, & ita petere & expectare bo-  
na. Cæremonias uero signa esse ad do-  
cendum

ēendum necessaria. Alij contra non intelligentes, quomodo fiat inuocatio fide, aut quid sit acquiescere in Deo, & ab eo expectare auxilium, tantum mirati sunt cærem onias, harum imitatione Deum se colere putabant, & hac persuasione paulatim eas cumulauerunt. Ideo uaria idola collocata sunt, & mactatæ non tantum pecudes, sed etiam humanæ hostiæ, & instituti sunt multi nefandi ritus, ut Bacchi orgia, ple na stuprorum & libidinum. Paulatim enim Diabolus ab exemplis initio speciosis gradum facit ad turpiora.

Sed consideremus tempora post prædicationem Apostolorum, quæ etiamsi alius aliter distribuere potest, tamē opinor perspicue hoc modo disceri, ut prima ètas ac pura sit ipsa Apostolica, & proxima discipulorum, qui doctrinam nondum dilutam platonicis opinionibus ac supersticiosis ritibus tradebant.

Secunda ètas est origenica, in qua iā caligo offusa erat doctrinæ de fide, & in Ecclesijs late dominabantur philosophia platonica, & supersticio. Enī

Etsi semper Deus semina puræ doctrinæ in aliqua parte seruat, tamen saepe diu vagantur errores in magna parte Ecclesiæ, quos tamen postea Deus emendat, ut post Origenicam ætatem Augustini uoce Ecclesia repurgata est. Sit igitur Augustini ætas tertia, in qua ad fontes reuocata sunt hominum studia. Sed mox propter bella Gothica & Vandalica dissipatis Ecclesijs, secuta est quarta ætas Monachorum, in qua paulatim tenebre creuerunt. Quid est enim doctrina Thomæ aut Scotti, nisi barbaries conflata ex confusione duarum malarum rerum, ineruditæ & nimis garrulæ philosophiæ, & cultus idolorum, uidelicet abusus Cœnæ Domini, inuocationis mortuorum, celibatus, superstitionum monasticarum.

Etsi igitur, ut antea dixi, tunc quoque Deus semina puræ doctrinæ in aliquibus seruauit, tamen manifestum est, maiorem partem Ecclesiæ tenebris obtutam fuisse. Has depellere cepit Deus immensa misericordia, luce Euangelijs per Lutherum rursus accensa. Et quanquam multæ gentes uoci Euange-

lij aduersatæ sunt, ut semper accidit, ta  
men in multis regionibus pia constitu  
tio Ecclesiarum facta est, & integræ do  
ctrinæ summa sine corruptelis extat.

Sit igitur hæc quinta ætas, in qua  
Deus Ecclesiam iterum ad fontes reuo  
cauit. Estq; tanta euidentia rerum,  
quæ patefactæ sunt, ut sani omnes faz  
teantur, doctrinam quæ sonat in Eccle  
sijs nostris, uocem Euangelij esse. Nam  
& illi ipsi, qui iam nouis præstigijs eam  
corrumpere conantur, hoc prætextu  
populo se commendant, res easdem se  
adferre dicunt, tantum ritus quosdám  
externos pacis & concordiæ causa re  
stituendos esse. Hanc γοντειαν nisi adhi  
berent, nemo eos audiret. Sed uos, qui  
in studijs doctrinæ uersamini, memen  
tote custodes uos esse doctrinæ celestis,  
ac diligenter considerate, quod Deus uo  
bis depositum per Prophetas, Aposto  
los, deniq; & iam per Lutherum com  
mendauerit. Si sunt res eadem, cur isti  
agyrtæ turbant Ecclesias? Si non sunt  
res eadem, fateantur nos necessariam  
habere causam, cureis nō adsentiamur.  
Zon leuis res est mutatio doctrinæ in

Ecclesia. Et hoc præsertim tempore  
struantur insidiæ ueritati non uulgari  
sophistica, remouentur aliqui manife-  
sti abusus, quos excusare in hac luce  
Euangelij, summa esset impudentia,  
Interea tamen retinentur nerui, qui-  
bus cōfirmatis, stabiliuntur ijdem abu-  
sus in alijs gentibus, & paulatim rur-  
sus occuparent animos populi in no-  
stris Ecclesijs. Si audient nostri pueri  
inuocari mortuos, nō potest fieri, quin  
obscuretur doctrina de Mediatore, Fi-  
lio Dei, Postea paulatim fiducia trans-  
fertur ad homines mortuos, q̄ quasi  
propior sit cum his familiaritas, &  
quasi magis adficiantur similiūm & fa-  
miliarium ærumnis. Sed cum sciamus  
quomodo prius in Ecclesia cultus ido-  
lorum creuerit, initijs occurredum est,  
ut in omnimedicatione præcipitur. Nihil  
astute dico, nihil sediciose, sed moneo,  
ut necesse est, ut puritatem doctrinæ  
bona conscientia tueamur, propter glo-  
riam Dei, propter salutem Ecclesiæ, &  
propter nostram inuocationem. Den-  
ueniam nobis homines prophani, qui  
ignorant conscientiæ dolores, si non

Uolumus adprobatione errorum sau-  
ciare conscientias nostras, quia talia  
uulnera non facile medicabilia sunt.

Hæc ut iam dicerem, etiam Luthe-  
ri recordatio me mouit, ad cuius tu-  
mulum hæc oratio habetur, qui ut cæ-  
teras Pauli sententias nos fideliter me-  
minisse uoluit, & interpres paulinæ do-  
ctrinæ planior fuit, q̄z quisquam aliis,  
cuius extant literæ, ita & hanc senten-  
tiam nos utraq̄ manū, ut ita dicam, re-  
tinere iussit, Bonum depositum custo-  
dito per Spiritum sanctum.

Sed cur additum est, per Spiritum  
sanctum? quia humana uigilantia non  
potest cauerē omnes insidias. Sed acce-  
dat inuocatio, ut Spiritu sancto pecto-  
ra nostra regantur, ut uitare laqueos  
possint. Te igitur Fili Dei, Mediator  
crucifixe pro nobis & resuscitate, cu-  
stos Ecclesiæ tuę, oro, ut nostri miserea-  
ris, & pro nobis apud æternum Pa-  
trem intercedas, & nos Spiritu sancto  
tuo gubernes, & pia studia doctrinæ  
& eorum hospitia tuearis, nosq; adiu-  
ues, ut te in æterna gratitudine & leti-  
cia celebremus. Dixi.

## Q V E S T I O.

**E**T si uerecundia nostræ etati  
maxime congruit, & expauesco  
ipse in tot senum grauissimorum uiro  
rum confessum procedens, tamen scio  
his causis anteferendam esse obedien-  
tiam. Cum igitur mihi mandatum sit,  
ut quæstionem proponam, & obtem-  
perare necesse sit, quæso ueniam meæ  
orationi detis. Et cum Filius Dei dicat,  
Sinite paruulos uenire ad me, arbitror  
minus reprehendi iuniores interrogan-  
tes aliquid, uel publice uel priuatim, de  
Ecclesiæ doctrina, q̄ si de alijs artibus  
disputationes moueremus. Aditum ad  
se se Filius Dei nostræ ætati concessit,  
quare uos quoq; patienter me auditu-  
ros esse spero. Interrogo autem de loco  
in Genesi, ubi Jacob dicit, Meum no-  
men, & nomina patrum meorū, Abra-  
hæ & Isaac, inuocentur super hos pue-  
ros, An his uerbis docuerit senex inuo-  
cari mortuos patres a posteris, hoc est,  
petere aliquid a mortuis, ut fit in com-  
pellatione mortuorū, Ora pro me san-  
cte Petre, aut iuua me? Nihil tam ne-  
cessere est, q̄ recte doceri homines de ue-

ra i[n]uocatiōe, quę p[re]cipue copulat homines cū Deo, & est p[re]cipuū uitę presidium, & corruptelas eius seuerissime prohibet Deus. Quare huius dicti explicatione utilis est, p[re]sertim cū hoc tempore, magna autoritate detorqueantur hæc uerba ad i[n]uocationem mortuorum stabiendam.

Sed alij cōtra adfirmāt, hāc interpretationē alienā esse a phrasī ebraica, & dicunt hoc significari, Hi pueri nūcupentur nostro noīe, uidelicet filij et heredes Abrahæ, Isaac & Iacob. Hanc esse phrasin nihil dubium est. Sed illa successio[n]is mentio estne ociosa & inanis? An pertinet tātum ad patrimonij distributionem? Hic opinor de magna re, & de uero patrimonio dici, scilicet de promissione facta Abrahæ. Consolatio filij Ioseph proponitur omnīū dulcissima, Esse & ipsos uere heredes promissionis factę patribus, quę pollicetur & Ecclesiam Dei fore in hac familia, & Deum uelle ei certum dom[ini]ciliū attribuere. Hæc quāta sint, aliquo modo cogitari potest, cum horum tēporum dissipationes cōsiderātur. Quid magis

S

Optat oēs sani & pīj, q̄ ut ipsorum posteritas retineat ueram Dei agnitionē, & sit pars Ecclesiæ Dei. Accedit & hoc uotum ardētissimū, ut hæc Ecclesia in terris aliqua habeat honesta hospicia, et politias mediocres. Hæc tāta bona cōprehensa erant in promissione patribus facta, quorum honorum hæreditatē Jacob ad hos pueros etiā pertinere dicit. Hanc dulcissimam cōsolationē obruit corruptela illa, quæ transfert dictum ad inuocationem mortuorum.

Nunc tuum iudicium, D. Doctor Melchior, huic auditorio exponas, & si mul ostendas, quō hæc cōsolatio ad nos accommodandā sit, quia etsi nobis nō est certa sedes p̄missa, tamen genus ad nos pertinet. Semper n. manet hoc decretū, Generatio rectorum benedice tur. Sumus n. catelli, qui mīcis patrum immēsa misericordia Dei alūtur. Ideoq̄ semper erit Ecclesia in illa posteritate, quæ studia Euangeliū pie colet, Et dabit alicubi Deus suæ Ecclesiæ mediocria hospitia. Hæc bona ab eo omnes ardentibus uotis assidue petamus, Nec talis peticio erit irrita. Dixi,


Fu 2144  
(A 22127-10)

K017 Me





# Farbkarte #13



B.I.G.

RATIO  
ITATA IN RE-  
ciatione gradus Theo-  
logici clarissimi uiri  
Melchioris Isinderi  
Suidnicensis.

39

1548